

Q. 181.
181.

Ab. C.

x 1975238

II

Ve

1903

THESES INAUGURALES

DE.

PROCESSV
CONCURSVS CREDITO-
RVM IN FORO SAXONICO
RITE FORMANDO

DIVINA FAVENTE GRATIA

EX

DECRETO ET AVCTORITATE

INCLYTI ICTORVM ORDINIS IN ALMA SALANA

PRÆSIDE

VIRO ILLVSTRI AC EXCELLENTISSIMO

DN. CHRISTIANO WILDVOGELIO

ICTO FAMIGERATISSIMO

SERENISSIMI DVCIS SAXO - ISENACENSIS

CONSILIARIO STATVS INTIMO

CVRIÆ PROVINCIALIS ET SCABINATVS

NEC NON FACVLTATIS IVRIDICÆ ASSESORE

VT ET PROFESSORE PANDECT. ORDIN.

Patrono suo ac Promotore multis nominibus colendissimo

PRO

LICENTIA DOCTORALI IN VTROQVE IURE

consequenda

D. XIX. Iul. Anno 1699. publice ventilandas

exhibet

CHRISTIANVS GVILIELMVS Schmidt

IN AVDITORIO ICTORVM

horis ante - & pomeridianis

TYPIS MULLERIANIS.



181.

THESES IN AVGVRALES

DR. P. R. O. C. E. S. S. V.
CONCIVIVS CREDITO

IVM IN TOTO SAXONICO

RITE FORMANDO

DIVINA FACIENTE GRATIA

DECRETO ET AVCTORITATE
INCITI ECTORVM ORDINIS IN ALMA SALANA

VIRO ILLVSTRIS AC EXCELLENTISSIMO

DR. CHRISTIANO WILDOGELIO

ICITO TAMGERATISSIMO
SERENISSIMI DVGIS SAXO-THIRAVCENSIS

CONSILIARIO STATVS INTIMO

CVRLE PROVINCIAS ET SCABINATVS

NEC NON FACULTATIS IVDICIS ASSIS ORE

VT ET PROFESSORE PANDICT. ORDIN.

Patris suo ac Promotore merito nomine hoc celebrissimo

LICENTIA DOCTORALII IN VIROQUE IURE

D. XII. Jul. Anno 1699

CHRISTIANVS GVLIELMVS GÖTTICVS

IN AVDITORIO ICTORVM

hanc autem e. honorabilis

TYPE ALLEMANIS.

BRUNNEN
HALLER



L. D. B. V.

PRÆLOQVIVM.



CONCVRSVS CREDITO-
 RVM inter res quotidie obveni-
 entes referri, multi sunt qui asse-
 runt; Nec tamen ob eorum intri-
 catam subtilitatem, mirabilesque
 difficultates & multas lites, qua
 sub iis indies exoriuntur, laborem
 testantur quotidianum, qui de
 Concursu & Prælatione Creditorum magna conscripse-
 runt volumina. Illud non indiget proluxa demonstratio-
 ne: Quid enim hodie in iudiciis, maxime Saxonis, ma-
 gis ventilatur & accumulatur quam Processus a Credito-
 ribus motus contra Debitorem communem? Sive hic per
 injurias temporum & communem belli calamitatem, sive
 sua ipsius prodigalitate suam suorumque conditionem fe-
 cerit miserrimam. De hoc jam tum Potentissimus Saxo-
 nie Elector in R. G. D. tit. 41. pr. conquestus fuit & ope-
 re pretium esse duxit, ob majorem evidentiam de Con-
 cursu Creditorum peculiare publicare Constitutiones,
 ut non tantum secundum eas judicetur, sed etiam quilibet,

bet, Concurſu excitato, ſibi eo melius proſpicere ac prolixas diſputationes, quantum fieri poteſt, evitare valeat. Secundum quas Conſtitutiones & Ordinationes etiam noſtri ſeculi PAPINIANI SAXONICI de Creditorum controverſis, & dubiis Caſibus in praxi obvenientibus liquidius judicare non dubitarunt. Inter quos præ ceteris immortalẽ ſibi reportarunt gloriam in explicandis juribus prioritatis & decidendis intricatiſſimis dubiis uterque Beati, CARPZOVIVS & RICHTERVS. Hos ſecutus eſt D. BALTH. BENJ. GRAVPIZ in ſua Inaugurali ſub B. DN. WILH. LYSERI Præſidio in Electorali Wittebergensi Academia: De concurſu & Graduatione Creditorum in foro Saxónico Electorali concurrentium, habita, ubi jura & privilegia Creditorum non minus breviter quam accurate pertractavit & explicavit; in fine tamen monuit, quod multa addi potuiſſent, quæ Concurſum comitari ſolent, & quæ ad finalem Creditorum dimiſſionem pertinent. Ita vero abſque contradictione concedendum eſt, Proceſſum concurſus Creditorum a Doctore quodam Saxónico nondum plene & certa methodo elaboratum fuiſſe. Hinc iterum noviffime POTENTIſſIMVS SAXO motus fuit, in Concurſibus Creditorum modum quoad Mercatores falitos procedendi breviorẽ & accuratiorẽ ſpeciali Proceſſus ordinatione (ad forum tamen Lipſienſe Mercatorium unice ſpectante) in §. 22. uſque ad fin. præſcribere, quem etiam, ut in judicando obſervetur, publicandum curavit. Equidem hunc Proceſſum ſe plenius examinãſſe ac ruminatum fuiſſe in Præfatione gloriatur D. HENR. PET. Haberkorn / de Proceſſu Concurſus & Prælationis

nis Creditorum; ipsum nihilominus in hoc iudicio uni-
 versali procedendi modum silentio præterit, & tantum
 jura Prælationis inter Creditores jure civili constituta,
 examinavit, adque jus municipale Reipubl. Görlicen-
 sis applicavit. Meliorem edidit Tractatum de Proces-
 su Concurfus Creditorum B. DN. BRUNNE-
 MANNVS; Cujus labor uti in se tam quoad tractan-
 di modum, quam controversias decidendi perspicuitatem,
 elogio quam maxime dignus est, ita & a iudicibus æque
 ac advocatis magno cum fructu adhiberi potest. Hoc
 unicum forsitan desiderari posset, quod non in omnibus
 Processus hujus articulis applicatio simul facta sit ad
 forum nostrum Saxonicum, præter ea, quæ Illustr. DN.
 SAM. STRYK. hinc inde in suis notis ad hunc Brun-
 nemanni Tractatum addere voluit. Quo ipso egomet
 commotus mihi proposui, Processus hujus universalis
 modum tractandi in foro Saxonico, ut materiam qui-
 dem quotidianam, non tamen a DD. undiquaque ex-
 ussam, plenius attingere, ejusque naturam eo, quod res
 fit inter plures expedienda, inibique multa omnibus
 communia, pleraque singulis singularia reperiantur, ex
 probatissimis Practicis monstrare. Ad hoc meum
 propositum admodum contulerunt ejusmodi Processus
 in Patria hætenus formati, qui optimam mihi submi-
 nistrarunt occasionem, questiones controversas hac in-
 re occurrentes sedulo colligendi, earumque decisionem
 ex sententiis & præjudiciis a Facultatibus & Scabina-
 ribus Saxonis hinc inde datis petendi, nec non hanc
 operam per Observationes publice edendi. Verum
 temporis angustia æque ac impensarum penuria hujus



mei negotii cursum & editionem in aliud tempus differre coëgit; Quare in presentiarum Processus istius ordinem solummodo vel potius Methodum brevissimis aliquot thesibus inclusam **LOCO INAUGVRALIS**, B. L. communicare volui. DEO annuente plenior Delineatio subsequetur. Interim conatus meos, candide infucateque Lector, humanitati tue ac equitati commendo. Imprimis autem divinam Sapientiam supplex veneror, ut omnia dirigat in suam Gloriam, atque suscepti laboris successus exoptatissimos mihi clementissime largiatur. Sit igitur

THESIS I.

DE Tituli explicatione nominali non est, quod simus solliciti, cum Rubricæ vocabula satis sint manifesta, & quamplurimi magno suo malo didicerint, quid Processus, quid Concursus Creditorum denotent ac significant.

TH. II.

Describitur autem *Processus Concursus Creditorum*, quod sit iudicium universale inter creditores & horum debitorem coram eisdem iudice competente institutum summariter peragendum.

TH. III.

Ad constituendum itaque & formandum Concursum instantia & petitio creditorum, saltem quorundam, necessario desideratur; Iudex enim in privatis
causis

causis officium suum nisi imploratus non impertitur, maxime in præjudicium tertii, ut hic. Quales Processus quod a creditoribus moveri possint, quodque peculiarem ac distinctam a Cessione, seu Concurſu ab ipſo debitore excitato, naturam habeant, nec non contra debitores invitos ac sine causa reluctantes in foro Saxonico decernantur, praxis ipſa edocet. *add. N. G. D. t. 51. §. Darumb wenn ic. qua de specie in posterum acturus sum.*

TH. IV.

Concurſus creditorum maxime cognoscitur ex plurium petitionibus, etiam ad areſtum in bonis debitoris morosi aut obarati consequendum directis. Quod salutare creditoribus & communissimum est remedium sibi prospiciendi de jure aliquo reali in foro nostro Saxonico. Cujus tamen requisita accuratius observari injungunt jura Electoralia & provincialia. *C. El. 29. p. 1. N. G. D. d. t. 5. §. G. Proceß-Ordn. p. 1. c. 29.* Areſtum quippe legitime impetrandum precedere debet

- ┌ quoad Creditorem
 - ┌ Supplicatio
 - ┌ Demonstratio
- ┌ quoad areſtum ipsum, hujus
 - ┌ Renovatio prima
 - ┌ Renovatio secunda, annexo
 - ┌ Libello areſtatorio
 - ┌ Citationis petitione ad areſtum prosequendum.

TH. V.

Quod si igitur plures Creditores concurrant, & debitor non habeat, unde Creditoribus omnibus satisfaciat, speciales diversarum actionum lites a iudice non sunt separatim suscipiendæ, sed potius ad evitandas litium multiplicationes omnium causæ conjungendæ, & simul uno eodemque Processu universali legitime & summariter sunt tractandæ, ut cuique pro jure suo ac privilegio satisfiat. Hic peritia juris, hic arte æqui & boni opus est iudici. Nam multa singularia occurrunt, quæ alias in ordinario processu non observantur, prout circa constitutionem & executionem hujus processus, illius causam materiale, formalem & finale breviter pertractando facile apparebit.

TH. VI.

Causa materialis dispescitur in objectivam & subjectivam. Objectum nostri processus sunt omnia debitoris bona, tum corporalia, eaque sive mobilia sive immobilia; tum incorporalia seu jura & actiones: Quo etiam (1) pignora Creditoribus tradita, (2) res alienæ in bonis debitoris repertæ: scil. in dubio; nec non (3) bona in fraudem creditorum alienata recte referuntur, ob rationem, quod iudicium hoc sit universale nihilque excludat, quod in bonis debitoris esse possit: adeoque ad illud etiam trahendæ sunt actiones (passivæ a creditoribus institutæ) ac lites contra debitorem in iudiciis diversis pendentes; imo concursus etiam particulares ad concursum universalem

versalem trahi posse, ob continentiam & connexitatem causæ, defenditur contra *l. 30. ff. de judic.*

TH. VII.

Subjectum absoluunt personæ judicium hoc constituentes, quæ sunt vel judicantes vel litigantes. In Iudice maxime spectatur ejus competentia, quæ hic ex persona debitoris semper æstimari debet. Hinc forum domicilii huic iudicio universali accommodatissimum est, aliisque prævalet. Limitatur tamen in Mercatore plures negotiationes in diversis locis habente, *arg. l. 5. §. 15. 16. ff. de Tribut. act.*

TH. IIX.

Litigantes sunt Actor & Reus. Actoris vicem sustinent creditores, & quidem omnes, qui modo actione aliqua contra debitorem experiri valent. Unde nec excluditur ab hoc concursu creditoris Creditor, generali scil. hypotheca vel ad ejus creditum speciali gaudens; si modo hujus jus sit liquidum, isque petitionem suam non simpliciter ad solutionem ex concursus bonis, sed ex portione suo debitori forte adjudicanda sibi faciendam in specie dirigat.

TH. IX.

Qv. autem: An omnes creditores solutionem ex Concursu petere teneantur, nec illam aliunde habere possint? Ita est, quia extra Concursum iudicium hoc universale nemini quicquam relinquit. Dantur tamen casus, quibus creditores præcise opus non habent concursui se immiscere, & dubiam expectare designationem. Tales sunt (1) qui separationem bonorum vel veram vel quasi petere possunt. (2) qui retentionem

B

rei

rei extra concursum habent, hæc namque certo respectu liberat a concursu, non tamen a creditorum jure in re illa potiori. (3) qui solutionis ab aliis, nempe a fidejussoribus & a possessoribus tertiis absque excussione obtinere possunt exactionem.

TH. X.

Rei loco semper adest Debitor, ejusve heres, qui creditoribus respondeat vel documenta recognoscat; Mortuo autem debitore absque herede, aut bonis forte vacantibus, curator bonorum constitui solet, ut hereditatem defendat, debitoris personam repræsentet & creditoribus ex bonis satisfaciatur. *t. t. ff. de Curat. bon. dand.* Curatoris hujus officium hodie duplici modo considerari, idque etiam in diversis personis exerceri videmus, ita, ut qui ad bona administranda, datus est, proprie Curator bonorum, seu Sequester: qui vero ad litem prosequendam est constitutus, contradictor seu Procurator nominetur. In Saxonia tamen indistincte nomine Curatoris bonorum veniunt, sive ad bona administranda, sive ad lites confirmati sint.

TH. XI.

Forma nostri judicii consistit in summario & extraordinario procedendi modo, vbi tamen isti actus & termini, qui alias in summaris necessario requiruntur, observari debent, nec tuto omitti possunt, quia hic versatur omnium creditorum commodum: adeoque judex nec tumultuarie procedat, nec moram longam in toto processu interponat necesse est, sed ita processum dirigat, ut omnibus creditoribus & coniu-

ctim

etiam & sigillatim, tam contra debitorem quam contra singulos, jus suum deducere permittatur. Hinc non tantum justum, verum etiam æquum ad hoc requiritur iudicis officium.

TH. XII.

Breviter: Processus concursus creditorum absolvitur citatione & sententia. De citatione præmonendum est, quod hac emissa & partibus insinuata, litis pendentia statim inducatur, & concursu ita formato bona possessa atque creditoribus communia dicantur. Quo facto postea nihil innovandum est, *arg. l. 1. § 2. C. ut lite pendente & c.* ita ut nec arrestum vel hypothe- ca, nec executio vel solutio ulterius admittatur aut confirmetur; sed omnium creditorum par incipiat esse conditio *l. 6. §. 7. ff. quæ in fraud. cred.* In quorum proinde præjudicium nec iudex quicquam ex debito- ris bonis uni præ altero adjudicare, nec in solutione cui- dam gratificari potest, usque dum sententia locationis certum inter ipsos præscripserit ordinem, hicque prio- ritatis ordo fuerit finitus.

TH. XIII.

Sicuti in aliis judiciis, ita & hic ad quoscunque creditores convocandos citatione speciali opus est, nec edictalis admittitur, nisi exteri, & qui iudici adhuc sunt incogniti, veniant citandi. Causa vero citationi rite est inferenda, quæ respectu creditorum in liqui- datione & probatione crediti facienda, nec non in iure prioritatis deducendo consistit. Atque hic ci- tandi modus singularis est, & optima ratione in Saxo- nia observatur. Respectu debitoris vero citatio ista

tendit ad recognoscendum vel jurato diffitendum documenta.

TH. XIV.

In Termino itaque, uti vocatur, liquidationis, creditores statim sua credita probare & demonstrare tenentur, quod solet & potest fieri (1) per documenta guarentigiata, & in originali sive forma authentica producta. (2) per testes juratos. (3) per debitoris confessionem, sed certo respectu; illa enim simpliciter considerata ad obtinendam protopraxian haud sufficiens est. In processu tamen arresti ante concursum formato aliud observatur, ibique probatio hac plenissimum habet effectum. (4) per debitoris privatam rationum annotationem. (5) per juramentum judiciale, quod tamen in processu arresti nunquam admittitur. (6) per juramenta, suppletorium & purgatorium, & tandem (7) per praesumptiones, pro ratione circumstantiarum.

TH. XV.

In eodem termino a creditoribus simul attendenda est prioritatis deductio, quæ maxime concernit jura creditorum adversus se invicem alleganda & demonstranda. Singulare est in hoc processu, quod creditores modo actoris, modo rei partes inter se sustineant, & ad reliquorum prioritatem reprobandam, exceptionibus & juribus debitori competentibus uti possint. Porro singulare est, quod sententia extra concursum lata, creditum unius creditoris respectu debitoris approbans, contra conceditores nondum auditos nullas acquirat judicati vires, sed creditor iste pro-

§ (B) §

probationem suam de novo deducere & defendere teneatur, scil. ad salvandam crediti sui prioritatem, per N. G. D. tit. 51. §. es soll aber.

TH. XVI.

Debitor ejusve heredes vel constitutus curator bonorum in termino comparentes, ad creditorum allegationes & petitiones respondere, seque declarare, nec non documenta in originali producta recognoscere coguntur eodem modo, qui in aliis communiter processibus est receptus. Sub recognitione etiam juratam diffessionem subintelligi, quamvis ejus in citatione vel subsequenti sententia mentio facta sit nulla, nemo nescit.

TH. XVII.

Citationi recte emissæ non obtemperantes creditores, concursu finito plane non admittuntur. Non autem statim ab initio præcluduntur, verum si tunc plane non compareant, sive non legitime probent, ad liquidanda & melius probanda credita iterum citantur sub pœna præclusi: quo termino altera vice neglecto expresse excluduntur, vel pro realiter exclusis habentur *Resol. Grav. tit. von Instit-Sachen §. 10.* Idem contumaciæ processus in debitore citato & emanente obtinet, quod scil. sub pœna recogniti vel confessi citari debeat; quo facto demum in contumaciam, præcedente ejus accusatione, sententia fertur.

TH. XIX.

Probatis debitis & deductis ab utraque parte deducendis, judex intra breve nec nimis longum temporis spatium summatim in jura creditorum inquirit,

B 3

&

& quam primum informatus fuerit, absque prolixis litium ambagibus pronunciat, atque decretum sive sententiam, quæ in specie *Locations-Urthel* oder *Bescheid* nominatur, citatis prius omnibus publicat, in quo cuique creditorum debitum suum in certa classe, uti vocatur, solvendum, secundum jus & prioritatem a legibus præscriptam assignatur.

TH. XIX.

Norma dijudicandi & ordinandi creditorum prærogativas in legibus & moribus Saxonis fundatur, quinque enim classes sive ordines generales præscriptæ sunt, *vid. N. G. D. tit. 41. usque 50.* secundum quos omnes omnino creditores collocari possunt & debent. Quomodo vero in unaquaque classe creditores ad solutionem accipiendam concurrant, sequentibus inclusi regulis,

I. Privilegiati simulque singulari prærogativa gaudentes, secundum prælationis ordinem in I. classe concurrunt,

II. Privilegiati simulque hypotheca vallati in II. classe. Et Hypothecarii simpliciter tales in III. Classe secundum temporis prærogativam concurrunt.

III. Privilegiati simpliciter omnes pro rata debiti invicem admittuntur in IV. classe.

IV. Creditores chirographarii & simplices itidem pro rata & quantitate debiti admittuntur in V. classe.

TH. XX.

Sententia in hunc modum præscriptum lata, facili-
lior

lior erit accessus per executionem ad processus finem, nempe ad solutionem, quam unice & statim ab initio intendunt creditores. Sæpius tamen plurimi eorum nihil percipiunt, sed a concursu plane excluduntur, quæ exclusio tamen solum fit a bonis concursui subjectis, non autem ab obligatione personali, quæ perpetuo durat, nec a bonis postea acquirendis. Id quod de debitore ipso, non vero simul de ipsius heredibus intelligendum est, hi enim in foro Saxonico ultra hereditatis vires adstringi nequeunt.

TH. XXI.

Multi tamen creditorum sententia ita lata non contenti sunt, sed, uti in aliis Processibus, remedia suspensiva & devolutiva interponere solent; Singulare hic est, quod interposita Leuteratio vel Appellatio non totum designationis sententiam in omnibus, sed tantum in iis capitibus, quæ ad Leuterantem vel provocantem pertinent, a vi iudicati suspendat, etiamsi indefinita sit. Sic beneficium Leuterationis ceteris creditoribus non est commune, nec adhæsiō in ista quoad aliam causam locum habet. Similiter in appellationibus causa ista, ob quam appellatum fuit, ad Superiorem devolvitur, non vero totus concursus, sed reliquæ causæ, quarum tot classes speciales & distinctæ ponuntur, quot adsunt debitores diversi, a iudice concursus interim recte discutuntur, quod & iudex superior certis ex circumstantiis admittit nec inhibere solet.

TH. XXII.

Tandem ad executionem deveniendum est. In
hoc

hoc autem executionis processu ordo communiter usitatus non observatur; (ratio desumi potest *supra ex tb. 12.*) sed singulorum creditorum singularis semper habenda est ratio. Hoc optime fit, si omnia bona mediante subhastatione seu auctione publica distrahantur, massa facultatum certa constituatur, & pecunia ex bonis redacta inter creditores distribuatur. Hic ergo vigilare debet iudex, ut per curatores bonorum bona rite administrantur, ab his debito tempore rationes exigantur, & exactæ plene discutiantur, ne ex mora vel negligentia lis ex lite, indeque creditoribus majus oriatur damnum.

TH. XXIII.

Creditis itaque ad liquidum & ad certitudinem redactis, bonisque debitoris excusis, nihil obstat, quo minus ad finalem creditorum dimissionem perveniri possit, si modo distributio bonorum aut pecuniæ ex istis redactæ rite instituatur, & mediante decreto durch einen Distributions-Bescheid / publicetur, per quod iis creditoribus, ad quorum exsolutionem bona debitoris sufficiunt, juxta ordinem in sententia super prioritatem lata assignatum sua portio pro quantitate bonorum tribuitur; reliqui autem omnes plane excluduntur. Und werden bey so gestalten Sachen die übrige Gläubiger von diesem Concursu, weilens nichts mehr übrig / nicht unbillig abgewiesen. Quo ipso Processui huic ac iudicio universali imponitur

F I N I S.

Clarissimo doctissimoq;

DOMINO

DOCTORANDO SCHMIDIO

Theses suas inaugurales

De

CONCURSU CREDITORUM

fortiter defendenti



IN TE *concurrunt* Pietas, Pru-
dentia, Candor,
Et cum proficua Seduli-
tate Labor.

Excipit hunc cumulum virtutum
Gloria Honosque:

Felix concursu hoc semper ubique
clues.

ita gratulatur

PRÆSES.

In muntre Geist ruht niemahls
nicht
Ihn schreckt nicht ein arbeitsvol-
les Wachen/

Er sparet keinen Fleiß
Und tracht durch Müh u. Schweiß
Damit er finde Lob in rühmens-würd-
gen Sachen.

Sein tugendhafter Sinn/

Herr Better / will sich ietzt auf glei-
chen Grunde stützen:

Es bringt ihm Themis-Schein
Erwünschtes Wohlgeden'n/
Daß er nunmehr wird vor sein saures
Mühen
An Ehre / Glück u. froher Heyrath blühē.

Mit diesem wenigen wolte den Herrn Doctorandum,
seinen hochgeehrten Hn. Better beglückwünschen

Joh. Christian Schmid / D.
Hochfürstl. S. Eisen. Hoff-Advocat.

Madrigal.

Sie ein Concurſ-Process ſey
anzustellen
Daß zeigt der Edle Schmied!
Darf Themiſ hier das Urtheil fällen?
Nein! Sie iſt Schuldnerin/
Er macht liquid ſo manche Forderungen
Und legt vor Ihren Thron
Achtunden auf zur recognition/
Wozu die Themiſ wird gezwungen.
Der Himmel ſelbſt ertheilt Beſcheid:
Es ſey Herr Schmied anheut
Vor andern Themiſ-Creditoren
Zum Vorzugs-Recht in erſter Claſſe
erhöhen.

Den Hn. Doctorandum wolte hiermit
glückwünſchend bedienen

Salomon Brand/
Secretar. Saxo-Jenens.

1903



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

VDA7

M.C.



bet, Concur
lixas disputa
Secundum q
stri seculi P
rum contro
bus liquidiu
ceteris imm
dis juribus
uterque Be
Hos secutus
sua Inaugur
in Electoral
Graduation
concurrent
rum non m
explicavit;
tuissent, qua
Creditorum
contradictio
Creditorum
plene & cer
novissime P
in Concurfu
litos proced
cessus ordi
rium unice
quem etiam
radit. Equ
ac ruminat
PET. Hab
alium quib
per

re ac pro
re valeat.
etiam no
Credito
bvenienti
quos præ
explican
mis dubiis
TERVS.
VPIZ in
I Presidio
ncursu &
Electoral
a Credito
actavit &
addi po
ad finalem
absque
concurfus
nondum
nc iterum
otus fuit,
atores fal
ciali Pro
Mercato
rescribere,
ndum cu
aminasse
HENR.
Prælatio
nis

